PERIPHERIA CIRCVLI MECHANICE DVPLICITER RECTIFICATA.

AVCTORE
G. W. Krafft.

§. 1.

Dum Geometrica periphaeriae circularis rectificatione caremus: mechanica tantisper vtendum est, quae, si ad verum exacte non accedat, haud tamen longe ab eo absit. Receptae igitur iamdiu sunt inter Geometras plurimae solutiones, quibus cito, atque etiam satis tuto, datam circuli peripheriam in lineam rectam exdendere licet, quoniam in praxi Geometriae frequentior huius problematis vsus occurrere solet. Tales celebrantur *Vietae*, Cardinalis *Cusani*, *Augustini Hirschuogellii*, *Caroli de Boüelles*, *Hugenii*, *Comiersii*, et aliorum, quas expositas legimus in *Dan. Schwenteri* Geometria Practica pag. 133. 136. 137. in *Actis Lips.* 1685 m. Augusto; *Geometrie pratique*, à Paris 1542; *Iournal des Sauans* Tomo II. pag. 441. nec non ad annum 1676 pag. 114. Sin autem in nodo hoc Gordio rectificationis circuli, atque pendentis ex ea Quadraturae, secando, cui soluendo hucusque impares fuerunt omnes, occupari quis cupiat: ad haec duo imprimis respicere debet, vt primo ad numeros *Ludolphianos* accedatur quam proxime id fieri potest, atque secundo quam paucissimis operationibus absoluatur problema, vt ne instrumentorum ineuitabili errore a praefixo scopo abduci facile possimus.